

moram omnes unanimiter clamaverunt; adventu quorum in quemque novus spiritus supervenit, crevitque voluntas et insatiabilis appetitus, ad instar leonis in bestiis irruere noviter cupientes. Paucis diebus elapsis, dum in castris quiescerent florentini, et de inceptione belli ac processu conferrent, et dicerent nil aliud nisi solummodo bellum posse liti finem imponere; bellum fortissimum est cum lucensibus parum post horam nonam inceptum, et cum mirabiliter preliarentur ambe partes, florentini venerunt non in corde dupplici et intrantes bellum, miserunt fugatores in fugam et quosdam ceperunt numero mille quingentos, et quosdam occiderunt, et quosdam percusserunt, non tamen in vultu; recuperatis captis quos reducebant de lucensibus et rebus ablatis; et ascendentes locum, praeliando pervenerunt ad castra pisanorum lignis et foveis circumquaque munita. In ingressu quorum fuit mirabile bellum, in quo ex utraque parte sunt plures occisi et etiam sine vulnere sunt quidam mortui reperti, tantum pro labore fessi, ibique fuit pro rebus in armis invitus ante veniens, pro multitudine veniente retro, non eidem regressum permittente. Et evulsis castris, Montem Moricium a scutiferis invenere iam captum. Ab alia vero parte exercitus veniens iuxta flumen alia florentinorum militum acies, vidit senenses et marturenses armatos stantes super ripas eiusdem, et cum ambe partes viriliter flumen intrarent, bellum ingens inceptum est, et ibidem cecidere plures qui reperti sunt postea in flumine cum loriceis. Demum florentini iuxta ripas fluminis ascendentes, miserunt ipsos in fugam, et castris relictis, recesserunt noctu: senenses nequeunt cum pisanis de recessu conferre. In campo vero florentinorum remanserunt cccc^{ti} milites iuxta flumen, et electi pedites mille custodientes carrocium iuxta preceptum; ante faciem eius Gonzolino (1) legato magnificentissimi Frederigi imperatoris existente: qui super renes eorum incessabiliter fabricassent, si infortunium contigisset eisdem. Expedivit namque vincere florentinis, quoniam esse moram non poterat nisi cum dampno, et reversio sine immoderato periculo.

Item pisanis fuisset utile valde, si expositionis quod est iustitia memores extitissent, et si non fuissent preceptorum iuris obligati. Item si non consumassent opus, cuius simile recipere nollent, profuisset eisdem; profuit igitur aliquid eis. Nox utique que claudens per eam ambulantibus iter, versa est in lucem tunc praeambulantibus per eandem. Quoniam si bellum nox non separasset, multi fuissent mortui qui vivunt, et capti plures, qui vitam cum libertate pertranseunt.

Die sequenti, predicta castella, scilicet Montem Moricium et Planectole sunt destructa. Super hec omnia quidam dicere attentarunt esse honorabile valde perambulare viam usque ad mare, ut de progenie in progeniem victorialis reminisceretur fama, rememorata re gesta, et tam pisanam urbem, quod leve videbatur et erat, quam omnia subdita sibi destruere, et ibidem apponere signum, in quo reperiretur scriptum: *Ego Florentia fui usque huc*. Alii vero contradicebant, ne irasceretur Dominus de superfluo, cum esset offensarum ultio per famam et evidentia opera manifesta. Destiterunt tamen consentiente parte maiori, victoriam valde lucrosam repor-

(1) Della vittoria ottenuta dal Fiorentino sopra i Pisani al Castel del Bosco, parlano sotto l'anno 1205. Questo ministro imperiale è chiamato il Conte Goffolino nell'esame fatto intorno al 1205 per rintracciare le ragioni de' Senesi sopra Montepulciano. È citato dal Pecci nella Storia del Vescovado di Siena.